
PROLVSIO.



ADMIRABILIS est eius natura sideris, Cardd. Amplis. quod quia nascentem, occidentemque lucem alterno apparitoris munere antegreditur, & consequitur, Phosphorum, atque Hesperum sapientes nominarunt. Nam cum errantes stellæ dispari motione incertisque vestigijs, modò ad Solem accedant, modò recedant: hæc suos cursus eadem immutabili lege conficit, nec tamen ab astrorum Principe longo interuallo, antecedendo subsequendoque discedit: & illustri candore, vel propè luminum Regem videri, vel cum illo non videri desiderat. Sed quia semper aliquid noui noua fert ætas; antiquis ætatibus ignotam vim ad contemplanda sidera nuper in vitro deprehendimus, & Lucifero dedimus lucem. Viderant prisci crescere, ac decrescere Phosphorum; hebescente tamen oculorum acie, eius orbem plena luce fulgentem: tùm æqua dimensione partitum, tùm in cornua curuatum non viderant. Id paucis ante annis non sine admiratione suspeximus; dum ad Hesperum optica Crystallo collineantes, eum in Lunæ speciem spectauimus occultari, aperiri, augeri, minui, consenescere. Ex quo cum Astronomis agnouere Philosophi, stellam diei noctisque nunciam non solùm diurnis

ſpatijs commeare ab ortu in occaſum, aut ſigniferum orbem obuerſa in ortum conuerſione luſtrare; ſed peculiari Solem ambitu circumire: ideoque inæquali claritate, modò illi ſubiectam regeſta in auctorem luce deliteſcere: modò è circuli vertice repercuſſo ad inferiora lumine ſe totam intuentibus explicare: modò ad latus collocatam formare in cornua, globoſumque corpus vmbris & luce diſtinguere. Hæc, multoque plura de Heſpero alij prædicant; ego duntaxat vnum: eum hodie idcirco meis prælucere diſputationibus, vt omnes propinquum Solem, te mihi in hac Principum Corona affulgente, FRANCISCE Card. Illuſtriſſime, intueantur.



ELOGIVM I.

HESPERVS

HISPANIAE I. REX.

ATLANTIS frater; sed illo montibus maiore maior.
Hunc enim Africa nō cepit, & quā tenuit Europæ partem
ſuo nomine excelſiorem fecit.
Vidit Athlas regnantem in Hiſpania, inuiditque,
cum ſuſtineret cælum, frater ſuſtineretur a cælo.
Tale enim præſagus futuri ſenex proſpexit Hiſpanicum regnū,
terris amplius, & patens extra anni, Soliſque vias.
Sed tamen cælo diſſimile, quòd pro ſideribus tot Soles habet,
quot Reges:
eoque illuſtrius, quod totum ab vno illuminatur.
Ad hunc veniſti purpureus FRANCISCE Sol,
ab Arcto verſus in Auſtrum:
è Gallia in Hiſpaniam, vt ibi quoque Ver faceres.
Et veniſti fauſta conſpiratione geminæ lucis;
cum altera verberaret oculos Regia Maieſtate:
altera Legati Religione recrearet:
atque in tuo ſplendore viderent Principes,
quæ in Romano cælo crearet Sidera Sol VRBANVS.
Exinde redis optatus ad Italiam,
noctemque mœroris fugaſti, quam reliqueras.
Vt olim Heſperus è ſua Hiſpania Italiæ nauigauit ad portus,
et Heſperiam dixit, quæ iam te Principe Veſperam neſcit:
Neſcit enim occaſum Virtus, qua fulges:
nec verget in noctem immortalis tuorum Gloria meritorum.

HESPERVS
HISPANIAE REX.



AELO minantem vidimus Heſperum
Aeterna Iberis nomina faſcibus
Dediſſe, ſublimemque currum
Occiduo impoſuiſſe Ponto.
Motus receptis legibus aſperos
Oblita magnæ littora Tethyos
Ad fræna regnantis Tyranni
Indociles poſuere fluctus.
Nunc BARBERINIS ille curulibus
Subdit paternæ ſtemmata gloriæ:
Manuque ſublata figurat
Clara ſuis ſimulacra terris.
Hæc, inquit, eſto nobilis imperi
Lex vna noſtris credita ſedibus;
Hac nempe dulceſcent adulta
Heſperij vada ſalſa Ponti.
Hoc terra pectus magnæ animæ capax
Summo minorem Principe Principem
Mirare ſupplex, & per omnes
Grande decus, columenque curas.
Hæc ſigna cultu ſplendida regijs
Affixa valuis cernite poſteri;
Auita maieſtas in ore
Imperio ſoboleſcet Orbis.


ELO-

ELOGIVM II.

HESPERVS CAELESTIS.

NVNCIVS occidentis Solis, idem & orientis;
ſed alius munere, colore, nomine.
matutinus Solem præcedit, ſequitur veſpertinus;
ideoq. præſtantior; nam præcedere obſequij: ſequi dignitatis eſt.
Mane candidus Lucifer, neque lucem ferens
poſtea cum Sole naſcentem,
& antè Cælo diffuſam; Aſtrorum legionibus
ſua cum face vigilantibus
aduerſus noctem armatam tenebris.
At Heſperus regia velut chlamyde purpureus refulget,
Solis perpetuus (quod mirere) hoſtis, & victor.
Lucis enim ſublato ſigno excitat formidabiles Siderum turmas
Tauris, Leonibus, Anguibus, Hydra, Hercule minaces,
quæ Solem metu præcipitantem mergunt in Oceanum,
ſanguinea luce rubicundum; vnde & victor purpuret.
Sed iam, ò Princeps, à moribus tuis candorem Lucifer,
Heſperus à dignitate optat Purpuram:
vterque abs te mutuari Virtutum lucem,
quam nec Sol luminum Pater habere poteſt.

HESPERVS CAELESTIS.



OLIS ad fessum iubar occidentis
Funeris pompam reuocans Ibera
Serus accendit face noctilucos
Hesperus ignes.
Inter obscuri tenebras Olympi
Dulcior fausto venit ore cantus,
Nobiles alta choreas in vmbra
Cynthia ducit.
Nox tamen Phoebi redeuntis astro
Concolor, claræ speciem figurat
Lucis, & rerum sinit expeditos
Ire colores.
Nempe ludentes placidum per auras
Tollitur Cælo bipatente signum,
Hespero fulget duce BARBERINI
Solis imago.
Ille & obiecti simulacra vultus
Arduus dextra repetit sequaci;
Hac nouos, inquit, face suscitabo
Noctibus ignes.
Arcis ò Tellus mea Vaticanæ
Nocte custodem patiere flammam
Ferre sublimem tibi BARBERINAE
Munera lucis.

Sic

Sic adorantes maris inter vndas,
Sacra cum magnæ imperio Tiaræ
Ad Madritanas properaret arces,
Purpura fulsit.
Hospiti centum patefecit vrbes
Fortium mater, geminumque tellus
Quæ regit Solem, dominasque mouit
Aula coronas.
Oris augustum decus explicata
Fronte Maiestas, animæque plenum
Regiæ pectus lateri figurat
Addita Virtus.
Munerum pondus graue, Gangis aurum
Dextra deuoluit, Ioue quæ Tonante
Ditior largos veteris metalli
Diuidit imbres
Aureus vidit simul imperantes
Principis fasces, placidoque fluctu
Pronus accurrit Tagus, ò Latino
Pulchrior auro.
Mox ab insano populus tumultu
Fugit armorum, mala nata campis
Purius circum sata germinarunt
Foedera Pacis.
Pacis amissum iubar, & colorem
Rebus optatæ reuehunt curules
Iam dies orbi noua BARBERINO
Fulsit ab ostro.

Solis

Solis, ò Princeps, radijs potitur
Hesperus (toto cadat axe Titan)
Semper in Cælum remeabit expers
Noctis & umbræ.
Donec æternæ Imperium Coronæ
Sustinens magni comes ò Atlantis
Fulcias pronis humeris Olympum
Hercule maior.



L V C I F E R
I D E M.



SVRGE surge iam sereno
Stella purpurans ab ortu.
Hospes vndæ, lucis auspex,
Hostis vmbræ, Solis index
Astra conde, pelle noctem,
Lora solue, pande currus,
Rector auræ, vector auri,
Meta noctis, & diurno carus ignis igni præuius.
Solis altus æmulator,
Siderumque, luminumque
Sospitator, Imperator
Surge Lucifer, decoro
Clarior nitesce vultu,
Pulchrior nitesce cultu:
Flammulisque mille onustos
Rore multo sparge crines, imbre flores tange fusili.
Solis aureos iugales
Velat vmbra, condit vnda;
Tu profundo, tu liquenti
Euocas ab amne Phoebum,
Lumen ipse reddis Orbi:
Mane lætis purpurantes
Rebus exprimis colores.
Surge, surge, pelle noctem, nigra cælo tolle nubila.

Cernis ut, gemella terris
Hesperugo purpurascit?
Mitis orbe fax Ibero.
Illa siderum cateruas
Luce suscitat volanti,
Lumen excitat sepultum:
Deque Cynthiæ fauillis
Astra mille, mille flammas, mille nocti condit lumina.
Principis manu vetusti
Iure maximum potenti
Venit Hespero trophæum;
BARBERINI signa vultus
Splendor Orbis, & Latinæ
Fulgor Vrbis. Ergo vesper
BARBERINO iunctus astro
Solis instar, ignis instar factus Orbi surge Lucifer.
Phoebe Cælo si recedas,
Non recedet aura lucis:
Ora nube si recondas
Ibit inde lux serena,
Hora Lunæ, lucis error
Lumen explicabit, idem;
Nulla Cynthium, diemque nulla noctis vmbra diuidet.
Hinc abite murmurantes
Fluctibus graues procellæ,
Hinc abite fluctuantes,
Imbrium Noti feraces;
Ite pestes; ite bella,

160

Regnet Iris, & beato
Conserenet igne cælum;
Simulacra nempe Solis nocte possidebit Hesperus.



GRATIARVM ACTIO.



IN occaſu diei oritur Heſperus, Solemq. ſequitur, à quo lumen accepit. Vtinam & mihi in occaſu diſputationis oboriatur aliqua lux eloquentiæ, vnde veſtrum Solem humanitatis, Illuſtriſsimi Principes, ſin minus laudando, ſaltem proſequar memorando. Sed vt ille non aliam lucem, niſi à Sole receptam grato repercuſſu in largitorem refundit: ſic ſola poterit, quam vos dederitis, vobis agere gratias eloquentia.

